

octoginta diebus nec cibum trahere nec potum valeret.

Quarto, in victu et vestitu. In victu, ne promiscue sedeant viri cum mulieribus, sed distincte et separatim. Si enim eam honestatem gentiles observarunt (uti Persæ, l. Esth. capite I. ubi rex alibi convivum viris, regina alibi instruxit mulieribus; Macedones, apud Herodot. libro III. Justin. libro VII. Græci, teste Cirerone, act. III. in Verrem) nonne turpe erit, si non servent Christiani? Non audiunt Ecclesiasticum, capite IX. monentem: *Cum aliena muliere ne sedeas omnino, ne accumbas cum ea super cubitum?* Quid enim? *Nunquam securus cum thesauro latro tenetur inclusus, nec intra unam caveam habitans cum lupo tutus est agnus,* ait Sanctus Cyprianus, de singular. cleric. In vestitu, ut sit purus a luxu et omni fastu, verecundiam præ se ferens, juxta regulam Sancti Chrysostomi, homilia XX. in epistolam ad Colossenses: *Orna sponsam non aureis ornamentis, sed mansuetudine et pudore, et consuetis vestibus. Pro quovis mundo aureo et implicaturis, et intexturis induet pudorem et verecundiam, etc.* Aspiciat sorores duas, Nonilonem et Alodiam, pro Christi fide in Hispania, anno Domini 851. gladio obtruncatas. Illarum prior, cum gladium lictoris in mandibulam delatum excepisset, et ex ictu corruens crura paululum nudasset, soror Alodia, mox accurrit, et cum omnium admiratione quod nudatum erat, obtexit; tanta illis erat verecundia et cura honestatis, sub ipso lictoris gladio auctore Maldonato, apud Surium, et Lipel. 23. octobris. Quis hoc pudoris speculo non confundat feminas nostri sæculi nobiliores, quæ intolerabili stultitia denudant quod tegendum est? Certe David in domo tales Veneres non toleravit, quod ex præcitato psalmo intelligimus, ubi ait: *Superbo oculo et insatiabili corde, cum hoc non edebam: et rursum: Non habitabit in medio domus mea, qui facit superbiam.* Quis autem facit superbiam, nisi qui in dies novos vestiendi modos et stultitias excogitat?

Non ergo frustra, auditores, non frustra nobis datur ab Ecclesia Zacchæus ad basilicas dedicandas, earumque encænna quotannis celebranda. Magnopere necessaria est hujus architrictini et modimperatoris præsentia; quo absente verum erit, quod scribit Sanctus Augustinus, sermone XXXVI. de verb. Domini: *Sæculi lætitia est impunitæ nequitæ, et Ecclesiæ dedicatio erit non tam Dei quam diaboli recreatio.* Vicissim ubi Zacchæus festivitati huic præfuerit, dicere licebit de vestris etiam domibus, quod de domo Zacchæi dixit Christus Dominus: *Hodie huic domui salus a Deo facta est.*

CONCIO V.

QUA VIA ZACCHÆUS SALUTEM ET EXIMIAM SANCTITATEM CONSEQUITUS SIT.

I. Ardenti desiderio. — II. Industria et labore. — III. Prompta obedientia. — IV. Patientia et injuriæ dissimulatione. — V. Humilitate et sui contemptu. — VI. Contemptu honorum temporalium.

THEMA.

Hodie huic domui salus a Deo facta est. Luc. XIX.

Mirum aliquando prodigium accidisse scribit Hieronymus Cardanus, libro XV. rerum var. capite LXXI. dum aridæ scopæ in palatio effloruerunt sub imperatoribus Valentiniano et Valente: significasse vero ait humilium exaltationem, qua ex infima sorte aliqui benevolentia imperatorum ad summos eveherentur honores. Simile quoddam prodigium videtur accidisse in domo Zacchæi, in qua Publicanus, ab omnibus contemptus, nec melior ab Hebræis quam detrita scopæ æstimatus, subito effloruit, et post virtutum dotes fructum insuper nobilissimum protulit, salutem sibi et domui suæ, et quod inde consecutum est, deus magnæ sanctitatis, demumque episcopalis dignitatis, ad quam postea a Sancto Petro Cæsareæ Palæstinæ evectus est. Quis aliquando vidit tale portentum? E Publicano pauperem evangelicum, ex hoc episcopum et Ecclesiæ lumen! Videamus igitur nunc, qui sint illi flores ex his egressi scopis, ut pro modulo nostro imitari eos possimus. Qua via ergo paravit sibi salutem?

I. Ardenti desiderio Christum videndi, quo ductus præcurrit et ascendit in sycomorum, et commeruit non videre dumtaxat Christum, sed et hospitem habere. Qui magno virtutis tenetur desiderio, dimidium quasi facti habet. Ita enim Sapientia VI. dicitur: *Concupiscite sermones meos, et diligite illos, et habebitis disciplinam, Græce, erudimini.* Unde Lactantius, divin. institut. libro I. capite XX. dixit: *Quid est aliud colere virtutem, nisi eam comprehendere ac animo tenere? Quod unusquisque simul ac cepit velle, consequitur.* Impossibile existimabat Saul Davidem cadere posse centum Philisthæos, et pro filia dote eorum præputia afferre: verum Davidi, qui magnæ regis filia desiderio tenebatur, facile id erat, itaque post paucos dies attulit non centum, sed ducenta præputia, I. Regum XIX. Nihilo difficilius consequemur virtutem et ipsam perfectionem, si magno ardeamus earum desiderio: « Is enim Domini nostri mos est, ait Divus Chrysostomus, homilia IV. in Genesin, ut quoties videt animam aliquam multo desiderio promptitudineque inten-

tam spiritualibus, jejunantem, liberaliter illam gratia et opulentiis suis donis locupletet. » Videre id erat in Sancto Antonio de Padua, qui ad huc juvenis, cum audisset advectos quinque martyres a Marocchio, pro fide Christi a Saracenis interfectos, maximo et ipse martyrii desiderio inflammatus, dixit: *Utinam et mihi liceat pro Christi nomine flexo populi carnificis ictum accipere;* indeque a patribus Franciscanis instanter petiit recipi in eorum ordinem, modo ipsum ad Saracenos postea mittere vellent, ubi pro Christo sanguinem fundere posset. Cumque habitum susciperet, quidam canonicorum regularium, in quorum cœtu prius vixerat et insultans ait: *Eas, eas, forsitan sanctus eris.* Ad quem ille conversus, humili voce dixit: *Cum me in sancto relatum audieris, profecto Deum laudabis.* Post hæc institit potenter, voti sui ut particeps fieret; et impetravit quidem discessum a fratribus; sed Deus illum ad bonum plurimorum fidelium reduxit, et quo ille aspirabat, ad miram sanctitatem perduxit, ita in ejus vita, 13. junii, apud Surium.

II. Industria et labore, quo in arborem conscendit non sine difficultate, ut quod stature deerat ad videndum Christum, beneficio arboris consequeretur: uti factum. Labor hic quidem exiguus reputari potest, et tamen postea plures alios et graviores accersivit, quibus consecutus est, ut assecla Sancti Petri et episcopus Cæsareæ Palæstinæ fieret, ab ipso Sancto Petro ordinatus, ut narrat Sanctus Clemens, libro I. et III. recogn. En tibi ex Publicano, homine rudi, quid effecit labor? Nihil igitur est, quod labor improbus non acquirat. Sanctus Isidorus cum puer esset, adeo hebeti fuit ingenio, ut nihil plane caperet, ac proinde de litterarum studio deserendo cogitaret. Qua in cogitatione cum mœstus juxta puteum stare, intuitus sulcos, quos in duro lapide crebræ sicularum tractationes effecerant, secum ita discurrebat: Si hoc in lapide facere potuit frequentia, quidni etiam continuo labore poterit expoliri ingenium meum? Siresumpto animo, constanter incubuit in litteras, adeo doctus evasit, ut archiepiscopus Hispalensis fieret, nec parem in doctrina et eloquentia haberet ævum illud, ita habetur in ejus vita. Severus Sulpitius scribit dialogo I. capite VII. se in eremo deprehendisse senem quemdam monachum, qui: « Bovem unum habebat, cuius hic erat totus labor, impulsa rotali machina a quam producere; nam mille aut amplius pedum profundum putei ferebatur. Hortus et illic erat multis oleribus copiosus: id quidem contra naturam eremi, ubi omnia arentia, exusta solis ardoribus, nullius unquam seminis vel exiguum radicem ferunt. Verum in hoc sancto illi labor cum pecu-

de communis, et propria præstabat industria: frequens enim irrigatio aquæ tantam pinguedinem avenis dabat, ut mirum in modum viveret atque fructificare hortuli illius olera videremus. Ex his ergo una cum domino suo bos ille vivebat; nobis quoque ex ea copia cœnam sanctus ille dedit. » Sic nimirum dura etiam ingenia et sterile animæ excoli industria et labore sedulo possunt, ut attingant sanctitatem et sapientiam. Unde dicebat alius quidam senex: *Propterea non promovemur, quia nescimus mensuras nostras, neque patientiam habemus in opere quod cœpimus, sed sine labore volumus virtutem possidere,* apud Rosweid. libro V. vit. pp. libello VII.

III. Prompta obedientia, qua descendere ex arbore jussus, festinans descendit, et invitatorum sese Jesum gaudens suscepit. Miratur hoc Sanctus Chrysostomus, homilia de Zacchæo: *Audi mirabile, inquit, nondum didicit et obedit, nempe Salvator justitiæ radiis nequitæ caliginem fugavit.* Magnum etiam est hujus virtutis meritum; et facilis inde ad sanctitatem gradus: quinimo Sanctus Bernardus, in sermone de divers. quomodo voluntas nostra subjici divinæ debeat, ait: *Totius perfectionis summa videtur in eo consistere, si voluntas nostra divinæ subjecta sit voluntati.* Et senex quidam moribundus, apud Cassianum, libro V. de instit. cœnob. capite XXVIII. a fratribus rogatus, qua potissimum die ad persecutionis culmen pervenire possent, ingemiscens hoc unum respondit: *Ego nunquam meam feci voluntatem.* Et quid mirum? Per obedientiam enim Deo per omnia exhibitam redimus ad eum statum in quo conditus fuit Adam, cui et creaturæ aliæ tamdiu paruerunt, quamdiu ipse paruit Deo: cujus subjectioni ubi se subtraxit, subtraxere etiam se creaturæ aliæ imperio ipsius. Unde Cassianus, quem diximus, libro IV. instit. capite VIII. ait de Thebanis fratribus: « Multis experimentis edocti tradunt monachum et maxime juniores, ne voluptatem quidem conscientia suæ refrænare posse, nisi prius mortificare per obedientiam suas didicerit voluntates. » Certe id ipsum Sanctus Augustinus, in Psalmo CXLIII. docet, cum ait: *Servi tu ei, qui fecit te, ut tibi serviat quod est factum propter te. Si autem contemnis tu servire Deo, nunquam efficies ut tibi serviat caro: Qui non obtemperas Domino, torqueris a servo.* Potest hoc exemplo compluribus demonstrari. Estantus, quidam religiosus, ad imperium sui abbatis manum immisit in bullientem aquam; indeque carnis portionem illæsus plane extraxit, in vita Sancti Ethewoldi, apud Lipel. I. augusti: Sanctus Eucherius Lugdunensis episcopus jussus a Sancto Cæsario episcopo. Arelatensi erigere mulierem

contractam et quadrupedis instar ambulantiem, paruit tandem, post obsequium diu ex humilitate detrectatum, et statim eam erexit, sanitatiq; restituit, in vita Sancti Cæsarii, apud eundem, 27. augusti. Quod si antiquioribus addere recentiora licet, addamus ex societate nostra Consalvum Esquivelium, qui ad mandatum superioris crocitantis tacere gallinas jussit, et mox impetravit, ut refert Sacchinus, in Lainio, libro VIII. numero CXXXVI. Jacobus Guerrierius, simplex et rectus coadjutor, missus a rectore in templum ad exorandam pluviam in summa siccitate, ivit, oravit, et obtinuit. Reversus ad superiorem: *Ecce, inquit, pater, feci obedientiam; habetis aliud, quod mandetis?* Refert Pater Hieronymus Majorica, in annis Goens. anno 1620. folio CCXXV. Atque hæc non quidem infallibilia, maxima tamen sunt argumenta magnæ perfectionis et sanctitatis, concessa obedientiæ; quam non soli religiosi præstare Deo possunt, sed et alii quicumque, si suis morem gerere confessariis et patribus spiritualibus, eorumque directione vitam instituere velint; uti fecit Sancta Elisabetha tum conjugata, tum vidua, Conrado moderatori suæ conscientiae, ex voto in omnibus parens ad instar religiose; quod, ut maximæ perfectionis opus, ab aliis non requiro.

IV. Patientia et dissimulatione injuriæ sibi illatæ a concivibus, qui publica infamia peccatoris ei notam inurunt, murmurantes: *Quod ad hominem peccatorem (Christus) divertisset.* Quid enim ad hanc calumniam Zacchæus? Ne verbum quidem, sed ad Christum conversus, corrigit errorem suum, paratus ad refundendum, si quem defraudasset. Pupugit nimirum invidorum oculos tantus Zacchæi hospes, tametsi non ab ipso invitatus, sed invitans semetipsum. Chysoprasus lapis est, qui lucente sole pallet, vicissim et tenebris obvoluto, splendidissime lucet, Isidorus, libro XVI. Origenes, capite XIII. ita solent invidi in luce alienæ felicitatis contabescere, in tenebris adversitatis lucere et exultare. Sed hoc ipsum fuit utile Zacchæo, dum spreto æmulorum obloquio, non se defendit, sed Christo cognoscendam detulit causam; qui uti Zacchæum defendit, appellando eum *filium Abrahamæ*, verum se et genuinum; ita solet etiam tueri eos, qui injurias sibi illatas ipsi commendant. Inter plurimos alios sic defendit Sanctum Stephanum, regem Hungariae, bello asperrimo ab imperatore Conrado laessitum, mittendo nuntium (utique angelum) ad imperatoris duces, qui referre pedem eos juberet, cui, velut ab imperatore suo missus fuisset, morem gerentes illico recesserunt, in vita, 27. augusti: Sanctum Wenceslaum Bohemiae du-

cem duello ab Radislao principe impetitur, adjungendo ei angelum, qui terreret adversarium clamando: *Ne ferias*, in vita 28. septembris: Sanctum Goarem presbyterum, calumniis invidorum circumventum, aperiendo os infantis, parentes suos denuntiantis, et Goarem liberantis, apud Surium, 6. julii. Profuit autem hæc calumnia Zacchæo, quia patientiam ejus exstimulavit atque exercuit. Viderunt antiqui anachoretæ hanc esse facilem et percommodam acquirendæ sanctitatis viam, injuriarum patientiam. Unde abbas Joannes dixit: *Porta cæli est injuriarum perpessio, et patres nostri per multas injurias in eam gratulantes ingressi sunt.* Rosweid. libro VI. vit. pp. libello IV. Alius roganti, qua via cælo potiri posset, respondit: *Potes convicia pati?* Perinde quasi caput salutis in mansuetudine et patientia contemptus et despicientiæ consisteret, juxta id Salvatoris: *In patientia vestra possidebitis animas vestras.* Lucæ XXI. idem, libro III. Ratio est, quia patiens dominatur animo suo, cumque regit et flectit quicumque vult. Unde Sanctus Gregorius, libro V. moralium, capite XIII. ait: « Quid est animas possidere, nisi perfecte in omnibus vivere, cunctisque mentis motibus ex virtutis arce dominari? Qui igitur penitentiam tenet, animam possidet, quia inde contra adversa fortis efficitur: unde sibi et seipsum vincendo dominatur. » Similia scribit homilia XXXV. in evangelia, ubi affert exemplum Stephani abbatis: *Qui reddebat contumelias gratias, damnum putabat lucrum, adversarios æstimabat adjuutores.* Hujus ergo virtutis exercitio ad tantam pervenit sanctitatem, ut in ejus morte visi sint angeli, qui animam ejus in cælum ducebant.

V. Humilitate et sui despicientia, dum nequam cogitavit Christum ad se, velut ad Publicanum, unquam diversurum; unde nec cum primoribus civitatis Christum ingredientem excipere, aut invitare in domum suam ausus est. Sat multum ipsi erat, si videre eum dignus foret; unde nec erubuit, instar unius pueri aut vilis homuncionis in arborem conscendere. Denique, non inficiatur se peccatorem et fraudulentum aliquando fuisse, sed ingenuè potius fatetur. Hæc igitur modestia disposuit eum facile ad capessendas alias virtutes: quia ratione pueri qui humiles sunt non difficile sequuntur manum dirigentis; et tabula rasa omnes recipit characteres et figuras. Unde Divus Augustinus, libro XVI. de civitate, capite IV. *Tutam, inquit, veramque ad cælum viam molitur humilitas, sursum levans cor ad Dominum, non contra Dominum.* Humilitas enim scala est, per quam ad sublimitatem ascendere oportet: *Hæc est via,* inquit S. Bernardus., sermone II. de

ascensione, et non est alia præter ipsam: qui aliter vadit, cadit potius quam ascendit, quia sola est humilitas, quæ exaltat, sola quæ ducit ad vitam. Hac via Sanctus Franciscus pervenit ad eximiam, qua claruit, sanctitatem, et evectus est in cælis ad summum angelorum ordinem, collocatus inter Seraphinos, uti revelavit Deus, teste D. Bonaventura, in ejus vita. Non est prætereundum quod in hujus rei confirmationem legimus in vita beati Alcuini abbatis, qui fuit præceptor Caroli Magni, apud Surium, 17. maii. « Rex siquidem magnus imperatorque jam Carolus potens orationis gratia unaque desiderata conlocutionis mutæ cum Albino, sepulcrum Sancti Martini suis cum filiis Carolo, Pipino ac Ludovico visitare studuit; quo in loco tenens manum Albini, ait secreto: Domine magister, quem de his filiis meis videtur tibi in isto honore, quem indigno quamquam dedit mihi Deus, habere me successorem? At ille vultum in Ludovicum dirigens, novissimum illorum, sed humilitate clarissimum, ob quam a multis despiciabilis notabatur, ait: Habebis Ludovicum humilem successorem omnium. Hoc tunc solus audivit Carolus. Sed cum eosdem reges erecta, et Ludovicum humili post ipsos cervice, in ecclesia Sancti Stephani, orationis gratia, incedere cerneret, sedens in loco, quo sepeliri volebat, inquit sibi adsistentibus: Cernitis Ludovicum fratribus suis humiliorem? Certe videbitis hunc patris celsissimum successorem. Necnon cum post communionem corporis Christi et sanguinis manu propria eis misceret, iisdem Ludovicus humilitate clarissimus præ omnibus, patri sancto se inclinans, ejus osculatus est manum. Tunc vir Domini adsistenti sibi ait Sigulfo: Omnis qui se exaltat, humiliabitur, et qui se humiliat, exaltabitur; certe istum post patrem Francia gaudebit habere imperatorem. Hoc nos jam factum et videmus et gaudemus. Depositi sunt qui videbantur cedri, et exaltata est oliva fructificans in domo Domini. »

Fuit sane Zacchæus inter Publicanos dives, adeoque magni nominis; sed quoniam ex eo culmine sese dejecit ad imum humilitatis, meruit proinde rursum assurgere ad summam dignitatem: quomodo aqua, quæ ex alto cadit, iterum ascendit ad priorem altitudinem.

VI. Contemptu bonorum temporalium, quibus videtur prorsus se abdicasse, dum dimidium pauperibus, dimidium restitutioni addixit. Miratur hoc venerabilis Beda in hunc locum: *Ecce, inquit, camelus, deposita sarcina, per foramen acus transit, id est, relicto divitiarum amore, benedictionem Dominicæ susceptionis accipit.* Vidit nimirum Zacchæus, eos qui divitias congregant, non

tam sibi laborare quam aliis; adeoque similes esse: *Balneatoris asino, qui ligna et malleolos itidem apportans, in nullam lavacri, caloris, mundi-tiæque partem venit, sed fumo semper obsitus incedit, ut Plutarchus, libro de cupidit. divin. ait.* Vidit similes esse canes, qui: *Quidquid accipit, protinus integrum devorat, et semper ad spem futuri hiat; quod avaro evenit, cui quidquid expectanti fortuna projicit, sine ulla voluptate dimittens, statim ad rapinam alterius erigitur,* inquit Seneca, epistola LV. Vidit divitias esse compedes, qui cursum ad lucrandum impediunt bravium: « Quemadmodum, inquit Divus Chrysostomus, homilia VI. in epistola ad Titum, eos qui nudi effugiunt, nemo facile tenere potest; qui vero vestimenta post se trahit, eum quilibet cito apprehendit: eadem ratione et dives et pauper existimandus est. Nam ille quidem, etsi capiatur, diffugere facillime poterit; hic autem etsi non teneatur, suis compedibus irretitur. » Vidit denique divites cum gibbo divitiarum suarum per angustam cæli portam non facilius intraturos, quam camelum per foramen acus. Certe etiam Samuelis filii, quia post avaritiam declinarunt, ad imperium post parentem assumpti non sunt; e contra Saul, quia pecunias non amavit, (uti colligi potest ex eo, quod I. Regum IX. legimus, puerum quidem ipsius pecunias ad iter secum accepisse, ipsum vero minime) in regem electus est. Dignus igitur imperio, dignus episcopali dignitate, dignus regno cælorum factus est Zacchæus, quando terrena illa impedimenta procul a se removit.

Atque hi sunt flores suavissimi et pulcherrimi ex detritis illis et abjectis scopis, ad miraculum exorti, prænantii illius veris amonissimi, quod in altero expectant sæculo omnes electi; quibus et nos conjungi poterimus cum Zacchæo, si hericos ejus actus imitari studuerimus.

CONCIO V.

CUR CELEBRETUR TEMPLI DEDICATIO ANNUA.

I. Ut Deo gratias agamus nos pro ipsius domo. — II. Ut reficemus nobis in memoriam ecclesiæ foundationem. — III. Ut meminerimus nos esse templa viva. — IV. Ut recogitemus quanta in veneratione templa sint habenda.

THEMA.

Hodie huic domui salus a Deo facta est. Luc. XIX.

Non parum imprudentes fuerunt Pharisei eorumque asseclæ, quod murmurare ausi sint con-

tra Christum Dominum, quod in Zacchæi domum divertisset, eamque sua præsentia decorasset atque benedixisset. Sed multo impudentior Lutherus, qui non solum murmuravit quod introducto in templum Domino nostro, per ejus consecrationem, festum diem agamus, sed insuper conatus est extrahere Christum e domo nostra, ejusque festum abrogare. Ita enim scribit, in l. ad nobilit. Germ. ubi ait: *Ante omnia dedicationes funditus extirpari deberent, cum nihil aliud sint, quam tabernæ, nundinæ, et aleatorum lusorumque scenæ.* Et in die dedicationis Postillæ domesticæ ridet dedicationis templi ritus ab episcopo adhiberi solitos, appellat stultitiam et idololatriam, monetque magistratum, ut omnes dedicationes aboleat. Verum quemadmodum Pharisæi nihil obtinuerunt apud Christum et Zacchæum: ita nec Lutherus non tantum apud nos, sed etiam apud suos, imo apud seipsum, quia et ipse sermones habuit in dedicationibus. Neque sana ratio suadet ut propter aliquos festi abusus, quos non probamus, rem divinam aboleamus. Et quemadmodum Zacchæus, fortiter restitit suis æmulis, Christumque hospitem sibi eripi non est passus; ita et nos constanter resistemus adversariis nostris, neque patiemur nobis tolli festum hoc tam pie institutum, ob tantas rationes, nunc explicandas.

I. Ut singulis annis semel saltem Deo gratias agamus, quod domum illam sibi elegerit, in qua inter nos habitare dignatus est peculiari modo, per præsentiam realem Christi Filii sui. Si enim publica lætitiæ signa edimus, cum præclarum et sumptuosum aliquid ædificium ad finem productum est, cur non magis ob extractam domum Dei? Hebræi post reditum e Babylone, restaurato muro Jerosolymæ, fecerunt ejus dedicationem solemnem, II. Esdr. XII. Romani festum diem *Septimontium* appellatum, celebrarunt singulis annis, quod eo die septimus mons urbi adjectus, sicque urbs conclusa et perfecta fuerit. Atqui templa urbium complementa et munimina sunt. Est enim templum in primis aula regis nostri, unde *basilica* appellatur, ubi quotidianum et magis favorabilem aditum atque audientiam apud eum habere, ubi ejus iram sacrificiis placare, eique servitium nostrum exhibere possumus. Est nostra curia, ubi Dei voluntatem et directionem pro concione audimus: est nostrum asylum, ad quod in necessitatibus nostris confugiamus, quale Moysi et Aaroni erat tabernaculum, cum populus eos lapidare vellet. Certe in urbium occupatione ad templum omnes confugere solent, ut ibi salutem quærant; quam et plurimi in eo impetrant, etiam ab hostibus. Est commune nostrum

balneum, ubi partim per baptismum, partim per poenitentiam abluimur a peccatis.

II. Ut refricemus nobis in memoriam beneficium dedicatæ Ecclesiæ universalis, ex Judaica mutata in christianam, cujus typus sunt nostra templa. Synagoga sterilis simul et spinosus ager erat, ubi plurimæ leges et difficillimæ, egena sacramenta, umbra tantum, et pœnæ graves transgressoribus positæ. Gratias igitur immortales Deo debemus, qui Ecclesiam nobis plantavit; sed quia ejus plantatio etiam difficilis fuit, et per trecentos persecutionum annos plurimo Christianorum sanguine rigari debuit, sicque tandem adolevit, ut omnia alia regna magnitudine et felicitate longe superaret; huic jure merito singulis annis triumphum dedicationis ejus agimus, et in signum victoriæ labarum de turri suspendimus, more eorum, qui, civitate expugnata, vexillum in mœnibus erigunt. Quemadmodum enim Hebræi ideo templi sui encœnia annuatim celebrabant, quia partim maximis impensis, partim summis difficultatibus extractum erat; sic nos Ecclesiæ nostræ, quia impensa sanguinis Christi empta, et inter persecutiones tyrannorum, plurimo sanguine martyrum ædificata est. Atque hoc est, quod episcopus in dedicatione templi suis cæremoniis indicat. Figit ibi vexillum crucis, in signum debellatæ idololatriæ. Accendit duodecim lumina coram totidem crucibus, quia duodecim apostoli mundum illustrarunt, Christique vexillum per orbem erexerunt. Ter circuit Ecclesiam, templum aspergendo aqua benedicta, et ter pulsat fores Ecclesiæ; quia trecentos annos Christus mundum circumvit, et aspergit partim baptismo, partim verbo Dei, partim sanguine martyrum, pulsans eum miraculis, prædicatione, sanctitate, donec post trecentos annos sub Constantino se aperuit Christo. Describit alphabetum Græcum et Latinum per totam Ecclesiam ab oriente ad occidentem, quia evangelium potissimum duabus illis linguis prædicatum ab oriente in occidentem. Cruces inunguntur in parietibus, quia et tunc crux honorare et suavis fieri gerentibus cœpit. Reliquiæ in altari conduntur, quia sancti non amplius occidi, sed coli et honorari cœpit. Tunc ergo sub Constantino vexillum suum erexit Ecclesia, tunc claudebantur delubra idolorum, aperiebantur et struebantur templa Christianorum, contra idola et idololatrias in theatris conclamatum, etc.

III. Ut recordemur nos esse templa viva, Deo in baptismo initiata et consecrata; ubi perfusi aqua benedicta, signati cruce, uncti oleo, lumine (quasi illo gloriæ) armati, sacramentum Deo præstitimus, dæmoni abrenuntiavimus, veste candida

induti. Hoc enim quia meminisse non possumus, per extremam templi dedicationem annuam in memoria nobis refricat Ecclesia, quasi dicens id apostoli I. Corinth. III. *Nescitis quia templum Dei estis, et Spiritus Dei habitat in vobis? Si quis autem templum Dei violaverit, disperdet illum Deus. Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos: et cap. VI. An nescitis quoniam membra vestra templum sunt Spiritus sancti, qui in vobis est? Et rursum, II. Cor. VI. Vos estis templum Dei vivi.* Quare in primis monemur crebro Deo gratias agere pro beneficio baptismi, quo, ex delubro dæmonum horrido et obscuro, templum Dei speciosum et lucidum effecti sumus, e spelunca latronum domus Dei, ex *Jebus*, id est, *conculcatione Jerusalem*, id est, *visio pacis*. Quid enim est gloriosius quam templum Dei fieri? Nonne multo plus quam totius mundi imperatorem? S. Ambrosius refert Theodosium seniore dixisse, magis se gaudere quod Christianus, quam quod imperator esset. S. Ludovicus IX. Galliarum rex, nullo se alio titulo condecorari optabat, quam si appellaretur Ludovicus Possiacus, quod in eo loco, qui Possiacum appellatur, baptizatus, primam et maximam victoriam de diabolo per baptismum obtinisset. Ægydius Corozettus, de dict. et fact. mem. Est ergo templi dedicatio anniversaria, quasi dies noster natalis annuus, in quo singulariter lætari, ob secundam nostram nativitatem, debemus, multo magis quam ob primam, qua nati fuimus in peccato ad miserias, uti docet S. Bernardus, serm. I. de dedicatione. Deinde, quam diligentissime curemus, ne polluamus peccatis, maxime carnalibus, impudicitia et ingluvie, corpora nostra: *Si quis enim templum Dei violaverit, disperdet illum Deus*, ait apostolus. Quot exemplis ostendere possem gravissime punitos, qui templum materiale polluerunt! Nonne filii Heli, quod cum mulieribus in vestibulo templi peccarent, ambo in prælio uno die occisi sunt? I. Reg. II. Nonne Antiochus, qui templis abutebatur ad stabula equorum, vermibus corrosus misere periit? II. Macchab. IX. Quid ergo meretur is, qui spirituale templum violat; et quidem alienum? (*Non enim estis vestri, sed empti estis pretio magno*, ait apostolus, I. Corinth. VI.) et paulo ante: *Tollens ergo membra Christi, faciam membra meretricis? Absit.* Pejus id est, quam si e templo faceres spheristerium aut tabernam, vel etiam cloacam. Denique, quia templa Dei sumus, non tam exterius quam interius nos ornare debemus. Templa idolorum foris nitida et speciosa erant, intus horrida et obscura, non nisi unum tripodem vel turpem simiam, canem aut catum in altari sedentem monstrabant, quales multi nunc Christiani, foris ornati, intus fœdi. Non

sint hujusmodi templa Dei et pii Christiani: *Omnis gloria filix regis ab intus*, dicitur Psalm XLIV.

IV. Ut in memoriam revocemus, quanta in veneratione habere templa oporteat. Videtur enim Ecclesia singulis dedicationibus annuis dicere id Jacob patriarchæ, Genes. XXVIII. *Quam terribilis est locus iste! Non est hic aliud nisi domus Dei et porta cæli.* Aspice crucem et vexillum; ipsa tibi dicunt: Sacer est hic locus; non profanus. In primis ergo sciamus domum hanc non esse meam aut tuam, sed alienam et ipsius Dei. In sua domo quisque agit quod placet: in aliena vero componit se ad modestiam, silentium, quietem: nihil turpat, nihil imperat. Certe B. Petrus Damiani, in epist. ad episcopum Bisontinum ait: « Districte prohibendum est non modo clericis, sed et laicis utriusque sexus, ut nisi sicut mos est, inter nocturni lectiones officii, aliasque dum divinis hymnis insistitur, nemo sedeat, nisi corporis eum valetudo compellat, » l. III. ep. VIII. Unde in Italia nullæ sedes in templis, nisi ad concionem mobiles. Secundo, esse domum sacram, non profanam, adeoque non licere hic dormire, comedere, ambulare, fabulari: hinc apostolus, I. Cor. XI. vetat in ecclesia commensari, et convivium etiam pauperibus instituire: *Numquid domos non habetis ad manducandum et bibendum? Aut ecclesiam Dei contemnitis?* Christus ipse oves, boves et columbas, quæ in atrio templi, licet in ordine ad sacrificium vendebantur, ibi non est passus, sed una cum mercatoribus expulit duabus vicibus, initio prædicationis suæ, et in fine, ut honorem templo habendum probe eis inculcaret. Quid si ibi reperisset ebriosos, impudicos, et quidem in ipso sacerdotum loco? Ideo nec sinebat ut quis vas aliquod per templum ferret; hoc est per eximium templi atrium, quod erat gentilium; quanvis onera portantibus transitus ille compendium quoddam esset in superiorem urbem seu regiam Salomonis, ut docet P. Cornelius, Marci XI. ex Villalpando: quanto minus hoc tulisset in ipso templo? Tertio, esse domum terribilem iis, qui indigna et inhonesta ibidem perpetrant. Principes et reges in vestibulo palatii sui pingi curant brachium, cui securis imminet, indicans illis, qui tumultum aut rixam ibi excitarent, manum abscindendam ad portam civitatis, in qua resident, malum erigunt, e qua manus protensa gladium stringit, eodem fine; gladio scilicet feriendum, qui gladium ibi strinxisset. Principes ergo sæculi immunes volunt domos suas a tumultibus et sanguine: et non magis Deus domum suam? Certe Davidi, quia concepit illicitam Bethsabææ concupiscentiam domi suæ, in

qua arca Dei tunc erat, iratus Deus per Nathan: *Quare contempsisti verbum Domini ut faceres malum in conspectu meo?* (in domo scilicet arcæ.) *Quamobrem non recedet gladius de domo tua usque in sempiternum*, II. Reg. XII. Proinde de hoc postea pœnitens ait: *Et malum coram te feci*, Ps. L. Quid erit in templo nostro, ubi non arca, sed Christus ipse præsens est, delinquere? Miratur S. Chrysostomus, hom. LXXIV. in Matth. in impudicos oculos per templum evagantes non fulmina undique vibrari, non funditus omnia everti: *Verum Deus cum longanimitate et misericors sit, ut in pœnitentiam te adducat, iram suam interea retinet*, inquit.

Sed nec minore veneratione transigendus dedicationis festus dies, neque insumendus est in gulam, ludos et saltus, quemadmodum fit alicubi, maxime inter rusticos, non exiguo hæreticorum scandalo. Sicut enim locus sacer profanatur rebus profanis, ita dies quoque. Non prohibetur quidem hilaris epulum, quando etiam Salomon, tot millibus hostiarum mactatis, excepit lautiore epulo populum, exemplo patris sui Davidis, ut scribit Josephus, I. VIII. antiq. cap. II. sistendum tamen est intra terminos sobrietatis. Quare, ne scandalum hæreticis demus, et ne Christum a festo et domo nostra iterum expellamus, digne et pie locum hunc diemque colamus, quo Christus nobiscum maneat, et quod Zacchæi domui dixit, etiam nostræ dicat: *Huic domui, huic civitati salus facta est.*

CONCIO VI.

ANTIQUA ECCLESIA LONGE PULCHRIOR HODIERNA.

I. Domus illorum sanctæ erant. — II. Prælati sanctiores. — III. Charitas inter fideles. — IV. Hospitalitas major. — V. Pœnitentiæ severiores. — VI. Eucharistiæ usus frequentior. — VII. Majus virtutum studium.

THEMA.

Huic domui salus a Deo facta est. Luc. XIX.

Libro I. Esdræ, cap. III. narratur, qua ratione Hebræi reversi post septuaginta annos e captivitate Babylonica Jerosolymam, instaurarint templum, prius a gentilibus destructum. Fundato igitur et erecto templo: *Omnis populus vociferabatur clamore magno in laudando Dominum, eo quod fundatum esset templum Domini.* Porro multi, hoc est, juniores quidem vociferabantur præ lætitia, ob majestatem templi: seniores vero qui viderant templum prius a Salomone extructum,

cum hoc posterius aspicerent, flebant voce magna. Causam dat Lyranus, quod juniores, qui prioris templi splendorem non viderant istud mirarentur et suspicerent: seniores vero, qui prius illud longe augustius conspexerant, secundum hoc quasi pro nihilo haberent, ideoque flerent, quod primi illius magnificentiam in hoc minime viderent. Lætatur etiam nos magnopere et Deo laudes canimus, quando ecclesiam civitatis et provinciæ nostræ, quæ ante annos quinquaginta ab hæresi vastata et deformata, ac fere collapsa fuerat, nunc intra paucos annos videmus restauratam et nitentem catholica fide et pietate. Nec immerito quidem. Verum si antiqui Christiani, qui ecclesiæ primitivæ majestatem aspexerunt, jam hic adessent, et ecclesiæ nostræ præsentis statum cum illo suo compararent, flerent absque dubio potius quam gauderent, considerantes quod recentis hujus nitor ad nitorem veteris illius minime assurrexerit, sed nihil pene respectu illius sit. Multum forte videtur esse quod dico; sed ostendam vobis verum me dixisse.

I. Ecclesia antiqua longe augustior hac recentiore erat, et spatiosior. Qua ratione? Quia tunc singulæ Christianorum domus singulæ quasi ecclesiæ erant. Unde Paulus domos illorum sæpe appellat *ecclesias*: et S. Chrysostomus, hom. XXXVI. in I. Cor. ait: *Tum domus ecclesiæ erant non vero ecclesiæ domus, imo domo qualibet profana magis.* Vivebant enim domi tam sancte pieque, atque si in templo forent, Deum semper præ oculis habentes. Quia enim persecutionis tempore templa non habebant, in domibus privatis ad rem divinam conveniebant, ubi certa conclavia separata in sacellorum morem pulchre adornabant, ibique rem divinam faciebant. Describit talem domum et sacellum Lucianus, in Philopat. cum ait: « Critiam quemdam in talem domum per multas scalas inductum, devenisse tandem in domum auro et fastigio insignem, ubi Christiani conventum agebant in faciem inclinati et pallescentes, etc. » Romæ sub terra plurimos passim curculos effoderunt, et speluncas subterraneas, convenientes sacramenta accipiebant, et Dei verbum audiebant, non sine continuo vitæ periculum ob insidiantes gentiles, tum ob ruinarum metum et auræ inclusæ insalubritatem. Quid de fervore adeundi templa dicam? Sub Henrico rege Ariano in Africa prohibitum erat catholicis, ne templa catholica adirent ad rem divinam, et statuti ab Arianis in omnibus ecclesiæ portibus tortores, qui viros feminasque in ecclesiam ingredi volentes male mulctarent, palisque dentatis in capita jactis et capillos implicatis raptarent, tanta plerumque crudelitate, ut avisa a

capite pelle, sæpe lacerati domum abirent. Neque tamen ea sævitia catholicorum constantiam et pietatem in adeundis templis infringere potuit, teste Victore Uticensi, in persecut. Wandal. lib. II.

Quid de pietate in templis? Vulgo didicimus: *Olim Christi fideles habebant obscura templa, et corda pellucida; nunc nos pellucidas habemus ecclesias, corda autem obscura.* Et quidem obscura ipsi templa habebant, ut magis collecti in orando essent ac devoti, nec oculis tam facile evagari possent. Ingressuri templum glados deponebant, uti se quoque fecisse fatetur imperator Theodosius in Concilio Ephesino. Ad hæc manus etiam lavabant, ut testatur Sanctus Chrysostomus, hom. LXXII. in Joa. *Ingressuri templum manus lavamus.* Rursum limen januæ templi osculabantur, teste S. Chrysostomo, in II. Cor. hom. XX. *Vestibulum et ingressum templi osculamur*, inquit, et hom. XXX. *Non vides quomodo hujus templi limen intrantes osculantur? Quomodo quidem genuflexi basient?* In eodem fabulari aut dormire non licebat. Unde: « Quidam ex diaconis, ait Clemens, ib. VIII. constit. apost. cap. XI. in templo inambulans contemplans viros et mulieres, ne quis fletet strepitus, ne quis nutus faceret aut musitaret, aut dormitaret. » Sub Sancto Basilio episcopo Cæsariensi Valens imp. Arianus Basilio et catholicis iratus, die epiphaniæ cum universa satellitum manu ingressus, ut ecclesiam turbaret, ubi psalmodiam audiit et populi multitudinem summa cum veneratione compositam, ecclesiæ ornatum, episcopum ad aram, velut statuam, in oratione erectum stantem vidit; stupore et vertigine correptus est, ac nisi suorum manibus sustentatus fuisset, in terram corruisset, ut scribit S. Greg. Nazianz. orat. funeb. in laude Basilii. Jam si antiqui illi Christiani adessent, et viderent nostrum languorem et aliorum etiam levitatem in templis, numquid non lacrymarentur? Ubi enim nunc illa reverentia erga sacras ædes? Ubi timor et horror sacriloci?

II. Erant olim columnæ templi longe firmiores ac speciosiores, quam sint modo, prælati, inquam, et pastores (quos apostolus ad Galat. II. *columnas* vocat) quia legimus in sanctorum actis passim diocesium primos quosque episcopos, abbatiarum abbates fuisse sanctos; quod tamen de posterioribus non adeo multis legimus. Discurreunt illi per invia et devia lustrantes greges suos, et verbi Dei pabulo impigre confortantes, nulli parcentes labori; in cuius rei symbolum pedo abbatum velum sive sudariorum, quo sudorem itineris et concionum labore provocatum detergebant, appendi solet, ut officii sui et antiqui

animarum zeli memores sint prælati sequaces. Lamentatus est suo jam tempore S. Bonifacius Germaniæ apostolus, quod olim fuissent in ecclesia calices sacri lignei, et sacerdotes aurei; suo tempore vero sacerdotes essent lignei et calices aurei. Quod sane magis in hæc tempora quadrat. Videmus sæpe nitere sacerdotes in vestibus, splendere in mensa et suppellectili; sordere vero eorum templa et vasa sacra. Quod se in domo divitis episcopi deprehendisse lamentatur cardinalis Bellarm. lib. II. gemit. col. V. in mensa nimirum omnia nitida, in templo vero tam sordida, ut dubitarit an paramentis illis missam celebrare deberet. correctus est jam magna ex parte clerus et hæc negligentia: sed ad primum illum nitorem nondum redacta.

III. Fornix erat firmior, charitas videlicet; nam sicut in fornice lateres se invicem sustentant calce connexi, sicque firmiter consistunt; ita charitas conglutinat consolidatque Christianos. Fuit ea tanta, ut se invicem fratres et sorores appellarent; et gentiles mirentur, quod magis se mutuo diligerent, quam fratres naturales: unde dicebant: *Videte ut se invicem diligant, et ut pro alterutro mori parati sint*: et: *Omnia indiscreta sunt apud nos, præter uxores*, Tertullianus, in apol. cap. XXXIX. Porro erga detentos fidei causa in carceribus tanta erat charitas, ut pecunia corruptis custodibus, ad eos penetrarent, necessaria eis præberent, et inservirent, vincula oscularentur, et si possent, pecunia eos redimerent: adeo ut S. Cyprianus, epist. V. moneat suos, ut hac in re sibi temperent, ne invidia illis concitetur et introitus omnino negetur: et S. Augustinus, in brev. coll. diei 3. cap. XII. scribat, quosdam pseudomartyres lucri gratia inter veros martyres se conjecisse, ut pecuniis ditarentur, vel lautius ibi viverent. Quanta cura rapiebant et redimebant martyrum corpora, ut honorifice sepelirent! S. Cyprianus pro Christianis e Numidia a barbaris abductis centum millia nummorum ab ecclesia collegit, et pro eorum redemptione misit, ut testatur epist. LX. Sub Gratiano, Valentino et Theodosio imp. tam effusa erat largitas Christianorum erga pauperes, ut plurimos alliceret ad mendicandum, validos etiam. Qua de causa edictum ab imp. prodiit contra validos mendicantes, Baron. anno 328.

Neque solum erga suos, etiam erga gentiles hanc exercebant charitatem, ut patet primum ex Eusebio, libro VII. cap. XVII. et Dionysii episcopi Alexandrini litteris, quando Alexandria peste correptis, non tantum Christianis, sed etiam gentilibus omni subsidio adfuerunt et ministrarunt; unde, peste ab ipsis contracta, vitam

libenter amiserunt, cum contra ethnici suos jam ægrotare incipientes extruderent ex ædibus, in plateas semivivos ejicerent, cadavera insepulta canibus lanianda relinquerent. Julius imp. apostata in epist. ad Arsacem. episcopum, jubet erigi hospitalia et xenodochia in subsidium pauperum, eo quod Christiani suis opibus sustentarent, non solum suos, sed etiam gentilium pauperes, apud Baron. anno 362.

IV. Portæ angustiores et ampliores, h. e. hospitalitas longe major. Ea enim in primitiva Ecclesia omnibus præcepta erat, quia videntes id gentiles et ipsi se insinuabant et hospitia apud Christianos quærebant, simulantes se Christianos: ideo excogitata est a Christianis *contesseratio*, de qua Tertullianus, lib. de præscript. Erat autem certum signum, e quo advenæ noscebantur esse Christiani. Cumque id ab hæreticis et gentilibus dolose adulteratum esset, a catholicis sæpe mutatum est; tandemque in Concilio Nicæno ejus loco litteræ quatuor constitutæ: P. F. S. S. id est, Pater, Filius, Spiritus sanctus, quæ dicebantur *formatæ*. Hospitibus pedes lavabant, et pro facultate necessaria apponebant. Dimissos a se ad certum spatium deducebant, et ad alios dirigebant. Lucianus in Philopatro describit quemdam impostorem gentilem, Peregrinum nomine, ex insula *Paro*, qui cum videret nullam gentem peregrinos ita libenter excipere et humaniter tractare, sicut Christianos, ad eos venit, et christianæ religionis se cupidissimum asseruit, dedit nomen, baptizatus, et magistrum ac doctorem fidei professus, quietiam operatus est, ut pietatis causa incarcerationem truderetur, quo a Christianis multæ ipsi et opes et cibi mittebantur. Dimissus tandem a præside et auro suffarcinatus, in patriam rediit. Quid quod anno adhuc 1020. Burkardusepiscopus Wormat. jussit inquiri a parochis, an essent aliqui parochiani, qui venientibus peregrinis Christianis hospitium negarent. Unde colligitur eam hospitalitatem ad ea tempora durasse.

V. Confessionalia majora, hoc est, pœnitentiæ injunctæ longe severiores. Publica in primis satisfactio pro publicis peccatis agenda fuit, ut Philippo imp. ob Gordianum dolo circumventum; Fabiolæ ob virum alterum ductum, post divortium primi; Theodosio ob cædem Thessalonicensem; Henrico II. Angliæ regi ob cædem S. Thomæ Cantuariensis. episcopi; ita ut inter pœnitentes stare extra ecclesiam, vel intus prosterni et plagas accipere deberent. Diu etiam in Ecclesia ad annos triginta viguit consuetudo, ut post privatam confessionem, publica peccata publice in ecclesia ab ipsis pœnitentibus recitari ad sui confusionem deberent. Qui mos ob justas cau-

sus a S. Chrysostomo sublatus fuit. Accipiebant tum Christiani libenter a confessariis pro uno gravi peccato 5. 7. 15. 20. annorum pœnitentias, quibus certos per hebdomadam dies in pane et aqua, humicubatione, vigiliis, cilicio tolerarent; quandoque etiam perpetuas. In Concilio Toletano legimus episcopum quemdam Bracarensem, Præmum, tactu femineo pollutum, seipsum sponte in ergastulo novem mensibus conclusisse, ibique pœnituisse, insuper Concilio peccatum suum prodidisse, pœnitentiamque ab illo perpetuam exercendo se in vilibus ministeriis libenter accepisse; dicente nihilominus Concilio, mitius cum eo actum esse. In canonibus pœnit. injungitur perjurio quadraginta dierum; falsa mensura utenti, triginta dierum jejunium in pane et aqua; blasphemo in Deum aut B. Virginem, septem dominicis statio extra ecclesiam, et totidem feriis sextis jejunium in pane et aqua; ultima dominica ad fores ecclesiæ sine pallio funem in collo gerat; fornicarius et adulter septem annis pœnitentiam agant, etc. Hinc nascebatur incredibilis morum innocentia et peccatorum ingens horror, præsertim castitas, ad stuporem gentilium. Testis Sancta Blandina in tormentis: *Christiana sum, et nihil apud nos mali committitur*, apud Euseb.

VI. Altitaria sacratoria, hoc est, eucharistiæ sumptio longe frequentior. Tempore apostolorum quotidie communicabant, Act. II. *Erant perseverantes in communicatione fractionis panis*. Duravit ea consuetudo, imo præceptum in primitiva Ecclesia diu. Anacletus Pp. in epist. sua I. ait: *Peracta consecratione, omnes communicent; qui noluerint, ecclesiasticis careant liminibus: sic enim et apostoli statuerunt, et S. Romana tenet Ecclesia*. Postea invaluit consuetudo ter aut quater in septimana communicandi: tum semel tantum die dominico. Post hæc decrescente fervore, Fabianus Pp. indulset, ut saltem ter in anno omnes communicarent, scilicet in paschate, pentecoste et natali Domini. Denique, magis refrigescente charitate, Innocentius III. jussit, ut nimirum semel in anno, scilicet in paschate uti refert D. Thomas, III. p. qu. art. X. Fervor et desiderium erga sacrum illud epulum tantum erat, ut sine ea martyrium se sustinere non posse crederent. Unde sacerdotes rabiem tyrannorum pro nihilo habentes, intimos carceres penetrarunt, ut confessores sibi detentos, verbo et missæ celebratione, sacroque illo viatico munirent, teste S. Cypriano, in ep. ad presb. et diacon. Ante communionem dabant sibi osculum pacis viri viris, feminae feminis, etc.

VII. Imagines pulchriores, virtutum scilicet exempla. Orationi non de die solum, sed noctu

etiam addicti erant, orando. Plinius secundus præfectus Bythinia, in epist. ad Trajanum scribit Christianos stato die ante lucem convenire, carmenque quasi Deo dicere secum invicem, seque sacramento non in scelus aliquid obstringere, sed ne furta, ne adulteria, ne latrocinia committerent, ne fidem fallerent, ne depositum appellati abnegarent. Devotio et corporis compositio tanta in illis erat, ut gentiles vel ea solum visa converterentur aliquando, uti Afra adhuc peccatrix, videns orantem Sanctum Narcissum, Albanus Anglus clericum domi suæ hospitem, mensæ orationem præmittebant. Unde Tertull. apol. XXXIX. *Non prius discumbitur, quam oratio ad Deum prægustetur: et mox: Æque oratio convivium dirimit*. Ad hæc hymnos sacros post mensam cantabant: hymnus *Gloria Patri*, etc. etiam a rusticis cantabatur, teste S. Basilio, libro de Spiritu sancto, c. VII. et XXIX. rustici arantes, metentes, vendemiantes passim cantabant *Alleluia: et Hæc est dies quam fecit Dominus, etc.* teste Hieron. ad Marcellum. Denique, majores nostri suas precatorias coronas secum ferebant ad templum, uti antiquæ monstrant picturæ. Ad eleemosynas faciendas liberalissimi erant, ita ut juxta præceptum apostoli, I. Cor. VI. singuli aliquid seponerent die dominico pro collecta in pauperes, pupillos, viduas, carcere detentos, exules, ecclesiæ ministros (qui inde copiosissime alebantur, teste Tertull. apol. XXXIX. facienda. Qui mos per annos 300. durans, cum tempore S. Chrysostomi in desuetudinem venisset, orationem habuit ad populum, ut instauraretur. Si quando aliqui Christiani abducti essent, faciebant collectas, ut eos redimerent (ut supradict.) Jejunia eorum strictissima erant. Testatur Lucianus, in Philopatro, solitos Christianos in quadragesima sic jejunare, ut aliqui decem soles sine cibo transigerent: Alexandria sub S. Marco in aqua, pane, sale et hyssopo jejunabant, Euseb. lib. II. c. XVII. abstinebant non a carne solum, sed ovis etiam et lacticiis, vino quoque, et multi etiam a piscibus, ut patet ex Sanctis Epiphano, in compendio, Basilio, serm. de jejun. Hieronymo in epist. ad Eustochium. Comedeabant primum vesperi in jejuniis, teste S. Bernardo, serm. III. de quadrag. «Adveniente jejunio, ait S. Chrys. hom. VI. ad pop. etsi millies quis exhortetur, et infinita crucient et cogant vinum delibare, vel aliud quid jejunii lege non concessum degustare, omnia quis mallet pati, quam prohibitum tangere nutrimentum.» Tempore quadragesimæ cum Julianus non nisi cibos vetitos venum proponi permetteret; quidvis aliud vilissimum edere maluerunt, quam iis se contaminare. Refert Nectarius, orat.

de S. Theodoro. Tempore Justiniani imp. cum necessitatis causa carnes in quadragesima proponerentur vanales, nemo eas emebat aut edebat, mortem præeligerent, Niceph. lib. XVII. cap. XXXII.

Sed heu quam nunc frigida sunt Christianorum jejunia! Quam omnis alia pietas tepida et languida! Videtur mihi jam posse dici, quod hospes ille Nolanus dixit censori Romano, ad reformandas urbes a senatu Rom. misso, de quo Timpius, in spec. magist. sig. L. ita scribit: «Venit aliquando censor Romanus Nola, Campaniæ urbem regionem illam pro more visitaturus. Sed quia ætas erat regioque æstuosissima, nemo tunc in publicum prodibat. Hospiti ergo, apud quem diverterat: Amice, inquit, ego sum censor a senatu Rom. ad regionem hanc visitandam missus: itaque festinus abito, omnesque populi bonos huc ad me vocato; sunt enim nonnulla sacri senatus nomine illis dicenda. Hospes ad sepulcrum abiit mortuorum, qui illic erant humati, et clara voce: Heus, inquit, boni viri venite mecum! vocat enim vos censor Romanus. Censor neminem venire videns, iterum jubet hospitem illos accersere. Is ad sepulcra denuo reversus mortuis ait: Adeste boni viri! Vocat enim vos censor Romanus. In hunc modum et iisdem verbis tertium quasi e carcere vocati. Cum autem iterum accersiti non venirent, pertæsus ac indignatus censor, inquit hospiti: Quandoquidem jussu meo boni viri nolunt venire, illuc; ibo, itaque mecum progressus, mihi illos monstra. Gravem enim meretur animadversionem quicumque senatus dicto non est obediens. Hospes pauperculus censorem manu prehensum ad sepulcra ducit, ad quæ dudum abierat, et mortuos denuo clara voce compellans: Ecce, inquit boni viri, adest censor Romanus vos allocuturus. Censor indignatus et excandescens: Quid agis, inquit, hospes? Ego te vivos vocatum misi, tu vero mortuos vocas. Cui hospes: Si prudens es, censor Romane, haud mirum tibi videbitur quæ feci, omnes quippe boni viri hujus regionis jam olim sunt mortui, et in his monumentis sepulti. Justo quippe Dei judicio factum est, ut intra terræ sinum quiescant illi quorum commercio non digna erat, quæ frueretur resp.» Non multum aberrabit qui hoc idem nostris temporibus dixerit, multo minus, qui secuturis et præsertim extremis.

Ubi enim nunc sunt boni illi Christiani, qui tanto fervore rem divinam quærebant? Jam olim sunt mortui et in monumentis sepulti. Ubi illi boni Christiani, qui tanta cum reverentia in templis versabantur? Jam olim sunt mortui et jacent in cœmeterio. Ubi illi sancti prælati et episcopi,